

quentum : cur cœnæ foetorem inducis in compositionem unguenti? Quid dicis? Saltat virgo et non eam pudet suæ æqualis (meretricis scilicet?) Oportet enim ipsam hæc esse honestiorem et gravio-rem. Ex ulna enim egressa est, non ex palæstra. » Et infra : « Si ergo neque virgines saltant, inquit, neque quæ nupserunt, quis saltabit? Nullus. Saltationis enim quænam est necessitas? In mysteriis Græcorum (h. e. gentilium,) sunt saltationes: in nostris autem silentium, honesta gravitas, pudor et modestia. » Et hom. XXXVI. in Gen. « Accepit Laban Liam filiam suam, introduxitque eam ad Jacob, et ait: Vidisti cum quanta olim honestate nuptias egerint? Num tunc tibiæ? Num tunc cymbala? Num choreæ diabolicæ. » Et infra: « Quomodo non absurdum, si nos qui tantam accepimus gratiam et misericordiam, et tam terribilium ineffabilemque sacramentorum participes sumus, hæc in re inferiores sumus Laban, qui cultui idolorum adhuc erat deditus? » Et rursus: « Quando plurimam oportebat esse reverentiam majoremque honestatem et castitatem, tanta obscenitate implentur omnia illa, ut probabile sit diabolo hæc omnia inventa esse. » Confirmari illud potest exemplo, quod scribit Hector Boetius in chronicis Scotorum de Alexandro sexto Scotorum rege, qui cum in tertiis suis nuptiis choreas instituisset, easque spectaret, vidit ad finem saltantium mortem ea, qua pingitur figura, ossea saltantem, claudere saltatorum agmen. Quare mox choreas, omnemque lætitiâ nuptialem sustulit: quod malum id omen crederet, uti revera erat; cum eo anno mortuus sit. Quis dubitat hæc dæmonem sub forma mortis choreis se miscuisse? Aliud divinæ animadversionis in hos saltus exemplum refert Albertus Crazius, lib. XIII. Wandal. hist. cap. decimo quarto de Qualensibus nuptiis in Lubica, in quibus aderat frequentissima virorum et mulierum multitudo, ducens choreas, cum repente incendium domus exortum absumpsit ex illis centum et octoginta utriusque sexus homines; soli sponsus et sponsa, qui choreis non intererant e lecto evasere incolumes. Quod adeo notum factum est, ut inde proverbio orto *Nuptiæ Qualenses* dicerentur, quæ minus honeste celebrarentur. Satis hæc, opinor, sunt, ad contrahenda vela et componendas ad modestiam nuptias. Si enim antiquorum partim Hebræorum, partim etiam gentilium exempla nos non movent, quid aliud expectandum, nisi infelix nuptiarum exitus, quarum ingressus tam fuit incompositus? Quare finio cum S. Gregorio Nazianzeno, apol. I. « Quisquis negotium (quale imprimis est nuptiarum) auspiciatur, non alium meliorem commodioremque ordinem tenere potest, quam ut a Deo incipiat, et in Deo conquiescat. »

CONCIO XXVI.

QUID SIBI VELIT ANNULUS NUPTIALIS.

Perantiquus ritus est, qui etiamnum durat, quo sponso sibi sponsam per anulum despondere solet. Tertullianus antiquissimus auctor, in lib. de cultu feminarum pronubum appellat, quod sponsæ pignoris loco mitti consueverit. S. Isidorus episcopus Hispalensis, l. XX. etymologiarum: *Feminae*, ait, *non usæ sunt annulis, nisi quos virgini sponsus miserat, neque amplius quam binos aureos in digitis habere solebant.* Plinius quoque l. XXXIII. nat. hist. c. I. ferreum anulum eumque sine gemma sponsæ ætate sua mitti consuevisse scribit. Denique S. Edmundus archiepiscopus Cantuariensis, in ætate adhuc tenera Virginem Deiparam, infixio in ejus imaginem anulo, eam sibi despondit edito castitatis voto. Ex quo postea omnis libidinis tela, invocata sponsæ suæ opera, elisit. Cæterum intelligere, ut opinor, desideratis, quid sibi hic vult anulus et cur antiqui illum voluerint esse pronubum. Hoc ergo nunc exponemus.

I. Indiciu est amoris mutui, qui utriusque uti digitum, ita et cor, mentemque charitatis vinculo velut anulo copulet. Ita S. Isidorus, lib. II. de divin. offic. c. XV. « Quod imprimis, inquit, nuptiis anulus a sponso sponsæ datur, fit nimirum vel propter naturæ dilectionis signum: vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde et quarto anulus digito inseritur, id est, quia in eo vena quædam, ut fertur, sanguinis ad cor usque perveniat. » Idem tradit S. Ambrosius, l. de patriarchis, Gellius, l. X. c. XVI. Macrobius, lib. VII. c. XIII. Quare sponsus atque sponsa cum eum anulum intuentur, memores sint imprimis amoris, quem conjugii debent, ne alteri eum impendant. Ita veteres imaginem ejus, quem amabant, in annulis gestabant ut eorum aspectu dilecti recordarentur. Ita Cicero, libro de finibus testatur, Epicuri discipulos et amicos imaginem ejus in annulis gestasse. In omnium animantium generibus mares simul et feminas Deus creavit: in hominum vero specie virum tantummodo effinxit, ex illo deinde feminam efformavit, ut summo eos amore devinciret, qui sicut uno corpore constat, ita unam quoque animam et voluntatem haberent. Ita Divus Ambrosius, libro V. hexam. cap. VII. « Fecit uxorem, inquit, de viro, h. e. de costa Adam; et jussit ambos esse in uno corpore et in uno spiritu. Quod unum separas corpus, unum separas spiritum, naturæ adulterium est. »

Deinde memores sint fidei, sibi mutuo datæ: cogitent anulum rotundum fine carere, pari

modo fidem illam nullo unquam tempore violandam esse. Thamar illa Judam redarguit ac convincit fornicationis secum patrata, annuli indicio, quem arrhæ loco ob eodem acceperat. *Cognosce cui sit anulus*, dicebat, Gen. XXXVIII. Pari ratione anulus ille pronubus seu datus seu acceptus arguit eum conjugem qui fidem alteri fregit, et quodammodo ait: *Cognosce cujus sit anulus.* Quæ enim in manibus gerimus, crebro in oculos incurrunt, nec tradi facile oblivioni possunt.

II. Indiciu est curæ domesticarum rerum uxoris competentis et a viro commissæ. Id testatur Clemens Alexandrinus, lib. III. pædag. cap. undecimo, ubi ait: « Pædagogus dat eis (uxoribus) anulum aureum, nec eum quidem ad ornatum, sed ut ea designent, quæ domi digna sunt ut custodiantur; sibi propterea quod servandæ domus cura ad illas pertineat. » Et per brevi verborum interstitio: « Itaque honestum quidem est, ut viri uxoribus suis fidem habentes, eis domus custodiam permittant, ut quæ eis ad id datæ sunt opitulatrices. » Et rursus infra: « Res est pulcherrima, mulier domus custos, quæ et se et maritum propriis ornamentis induit. » Intellexit hoc Lacæna illa captiva, apud Plutarch. in Lacon. quæ cum in foro vendenda interrogaretur, quid sciret, respondit: *Probe gerere domum.* Et nobilis illa matrona, quæ Theano percontanti, qua ratione celebris esset evasura, respondit: *Contexens telam et meum curans conjugium.* Sensit mulier illustris, quod fortis illa, quæ colu et acu ditavit domum, nec non stragulatam vestem sibi fecit, tantumque lucrata est, ut bysso et purpura se vestiret, sicque sibi ac viro suo gloriam compararet. Merito igitur de illa dicitur: *Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum.* Non minoris etiam roboris est, colu et acu defendere ab inopia domum, et opes parare, quam hasta et gladio.

III. Indiciu est potestatis legatariæ; siquidem dabatur legatis regum, ad res gerendas emissis, ad fidem et auctoritatem eis conciliandam, teste Plinio, l. XXXIII. c. I. Atqui uxor, teste D. Chrysostomo, est loco legati, maritus loco regis; quia mulier in adjutorium viri creata, suam etiam potestatem obtinet in domo, tametsi a viro dependentem, quemadmodum legatus dependet a rege, sua interim potestate et auctoritate polens, ut in sequentibus explicat idem S. pater. Extendit se vero illius potestas non ad liberos dumtaxat a teneris instituendos, sed ad familiam etiam bene ordinandam, præsertim ad ancillas gubernandas, testante Abrahamo, Gen. XVI. ad Saram suam loquente: *Ecce ancilla tua in*

manu est, utere ea ut libet, q. d. num quis potestatem tuam minuit? Num dominium tuum ablatum est? Ipsa sub manibus tuis est, puni, castiga, increpa, ut vis et tibi placuerit, sic facito cum ea, ut exponit ibi S. Chrysost. hom. XXXVIII. Hinc olim Romani mariti uxoribus primum domum ingredientibus claves tradebant, ut gubernationem domus capessero, rem domesticam administrarent, promæ et condæ essent. Denique indirecte etiam extendit se ad ipsum maritum, si a vero virtutis tramite deviare vellet, ut illi resistat ac succenseat. Est enim maritus aliqua pars uxoris, quæ quasi protestari et appellare potest, si vir in præcipitia abeat, ne simul et ipsam præcipitet, veluti caput subjectum et adhærens sibi corpus. Hac in re enituit virtus Placillæ Augustæ, uxoris Theodosii senioris imperatoris, cujus in primis studium fuisse narrat Sozomenus, lib. VII. c. VI. ne vir ejus circumveniretur ab Arianis dum ne colloquio eorum traheretur in hæresin, id antevertit. Et nostro sæculo pari catholice religionis zelo serenissima Caroli archiducis Austriaci, Ferdinandi II. imperatoris genitrix, Maria Anna, Bavarica de domo cum hæretici aliqui trahere principem ad concionem Lutheranam audiendam niterentur, animose sese opposuit, asserens, se proles suas in humeros sublaturam et in patriam suam migraturam, si maritus assentiri tam pernicioso consilio vellet, eaque animi fortitudine consilium hæreticorum intervertit, et maritum in catholica fide solidavit; uti norunt Græscenses mihi coævi, a quibus id fida relatione accepi. In hujusmodi eventibus, cum maritus contra Dei legem, aliquid molitur, suam uxor auctoritatem interponere potest, ac debet, si per ipsum trahendam se prudenter existimet ad peccatum aut grave aliquod damnum; quomodo prudens illa Abigail inconsulto viro suo Nabal, abiit ad Davidem, et munera ei detulit, ut iratum placaret, a quo excidium domus suæ imminere sibi intellexerat, l. Reg. XXV.

IV. Indiciu est fidelitatis præstandæ marito, ut ne in perniciem viri aliquod machinetur, aut secreta ejus prodatur. Hoc sine datum Josepho fuisse a Pharaone anulum, indicat Sanctus Ambrosius, l. de Joseph. c. VII. *Quid enim tibi vult anulus,* inquit, *digito ejus insertus, nisi ut intelligamus pontificatum ejus fidei esse delatum, ut alios ipse signaret?* Eadem intentione dedisse Assuerum Mardocheo anulum suum, Esth. VIII. non dubito, ut fideliter nimirum jura regni administraret et decreta regno salutaria suo anulo subsignaret. Quis autem fidior sit marito, quam ipsius uxor, cum sit alter quasi maritus, eademque ipsius caro. Monet quidem Ecclesiast-

ticus, cap. VII. *Mulier si est tibi secundum animam tuam ne projicias illam, et odibili non credas te, in toto corde tuo, quod posterius etiam de uxore dictum volunt aliqui.* Et sane scimus Samsonem ab uxore proditum esse, postquam revelavit ei arcanum suum, Judic. XVI. Similiter Amphiraum a sua Erphile, pro accepto aureo monili detectum, cum in latebris maneret, teste Statio Hygino, cap. LXXIII. Scimus etiam Michæam, cap. VII. dicere: *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, claude ostia oris tui.* Verum hæc de improbis dicta sunt mulieribus. Admonentur tamen et reliquæ, ut secreta maritorum nulla ratione prodant, nisi seipsas cum illis perdere velint. Notum est ex Plutarcho, libro secundo, de fortit. et virtut. Romanor. Alexandrum Magnum Hephæstioni, postquam matris epistolam ei legendam dedisset, os annulo obsignasse, ne quando proderet, quæ legisset. Idem sibi fieri a sponso sponsa existimet, cum ab eo annulum accipit. Nam ut ait Sanctus Augustinus vel quisquis est auctor libri de amicitia, cap. XIII. « Secretorum revelatione inter amicos (multo magis inter conjuges) nil est turpius, nihil execrabilius, nihil amoris vel gratiæ relinquens inter amicos. Sed omnia replens amaritudine, indignationis et odii atque doloris felle cuncta aspergens. » Viderunt id et gentiles, uti Atheniensis populus, qui bellum cum Philippo rege Macedoniæ gerens, deprehensam illius ad Olympiadem uxorem litteras resignare et legere non sustinuit: quod existimaret (id quod res habet) arcana conjugum sacra esse, nec fas vulgari, aut ab alienis nosci, ita obsignata illas intactasque in Macedoniam ad reginam transmiserunt. Refert Ludov. Vives, lib. II. de christ. femina. Quod si hoc illi fecerunt, hosti armato, quanto æquius est idem præstare conjugem conjugum? Denique gentilis etiam Isocrates ad Democritum scribens, ait: *Diligentius tuenda sunt deposita verborum quam pecuniarum.* Quare si uxores sedulo, uti debent, pecunias maritorum custodiunt, multo magis abscondant secreta eorumdem. Cogitent sibi os sponsali annulo oclusum esse, adeoque non exiguum imminere malum si arcana virorum prodiderint.

Atque hæc sunt documenta, quæ tradit annulus pronubus, quem proinde cupio ita inseri conjugum digitis, ut nullo unquam tempore excidat. Dicat alter alteri illud Isaïæ, c. XLIX. *Ecece in manibus meis descripsi te, ut semper sim memor amoris, fidei, officii, potestatis et fidelitatis meæ atque tuæ.*

CONCIO XXVII.

CÆREMONIÆ NUPTIARUM CHRISTIANÆ EXPLICANTUR.

Cum in exteram regionem itinere magno et periculo dimittere parentes cogitant filium, prius ei provident de rebus ad iter necessariis. Procurant equum, servum, viaticum, vestes, pecuniam necnon et electuaria sacraque amuleta, præscribunt documenta, etc. Simili provisione dimiserunt a se filium Tobiam parentes, in Mediam abiturum, dederunt comæatum et necessaria alia, adjunxerunt ei comitem, necnon et canem, impertierunt benedictionem, Tob. V. Periculo plenum et multorum dierum iter est status matrimonii, multis ærumnis et difficultatibus refertus. Quare Ecclesia mater nostra, cum quem filiorum suorum ad statum illum dimittit, prius illum munit variis remediis ad hoc iter requisitis, quibus partim instruat, partim juvetur et roboretur velut sacris amuletis, sive re ipsa exhibitis, sive judicatis per aliquas cæremonias. Offert enim sacrificium altaris, benedicit novos conjuges, jungit eorum manus, colligatque sacerdotali stola, munit sacro annulo, confortat amoris vino, adhibet paranympnos. Prævidet enim metuitque pericula, quæ Tobiam occurrerunt, immanes pisces, tremendos Asmodæos, sollicitudines, ærumnas, tentationes: quibus ut occurrant novi conjuges, obarmat eos Ecclesia, uti nunc explicabimus.

I. Adhibet paranympnos, qui sponsam sponso adducant: edocta nimirum a Deo, qui Evæ quasi paranympnus factus, adduxit eam ad Adamum in conjugem accipiendam; docens non ab alio quam ab ipso Deo per ipsum et ad ipsius gloriam matrimonium ineundum, ipsum auctorem et conciliatorem nuptiarum esse. Excludendus igitur Asmodæus, excludendus Mammon, excludenda Venus et similes proci, qui nuptias pervertunt. Audiamus S. Chrysostomum, orat. in calendis habita: « Si uxorem duxerimus, propter Deum hoc faciamus: non ut facultates majores acquiramus, sed ut temperanter vivamus: animæ nobilitatem, non pecuniarum abundantiam inquiramus: non majorem splendorem sed morum virtutem persequamur et modestiam: vitæ sociam, non lenociniorum comitem capiamus. » Idem. I. in ca. I. Matth. « Salomon ille, ait, qui interpretatur, accipe vas, qualem filium genuit ex Rahab? Booz, qui interpretatur, in virtute vel virtus in ipso sive prævalens, qui secundum imperium Dei accepit uxorem Ruth, a Deo provisam, in virtute generat filios, et in seipsis virtutem habentes et prævalentes. Qui

CONCIONES NUPTIALES.

autem recipiunt uxores ex provisione diaboli, id est, non religionis intuitu, nec fideles, in infirmitate generant filios, nec prævalentes unquam nec fortes nisi in malo, et ad penam irreligionis suæ, non ad gaudium nec ad consolationem videntur filios genuisse. » Paranympni adhiberi solent, juvenes forma decori et nulli corporis defectui obnoxii. Risum enim cie-ret, qui senem aut ægrum, cæcum vel claudum aut gibbosum producere paranympnum et sponsæ suæ adjungeret. At si in sponsa præcise formam spectes, se æm et ægrum adhibuisti, quia species et decor formæ brevi tabescet; si divitias, gibbosum, ad ingressum cæli ineptum; si potentum amicitiam, quia *omnis amicus fraudulentur incedet*, Jer. VI. multa tibi promittet, pauca præstabit. Si hortatum dumtaxat et consilium cognatorum secutus es, cæcum nactus es paranympnum, quia in hoc negotio nemo non cecidit. Solus igitur Deus ejusque gloria præclarus paranympnus est; quem expetit Eliezer (qui exponitur *Dei adjutorio*) servus Abrahæ, missus ad quærendam et adducendam Isaac sponsam competentem, quam ut inveniret, oravit: *Domine Deus Domini mei Abraham occurre obsecro mihi hodie, et fac misericordiam cum Domino meo Abraham*, Gen. XXIV. ut nimirum ejus filio sponsam adducam, quam ipsi providisti.

II. Benedicit annulum pronubus sponsi et sponsæ manibus inserendum. *Annulus quid est aliud*, inquit D. Ambrosius, in c. XV. Lucae, *nisi sinceræ fidei signaculum?* Inseritur autem in quarto digito, qui minimo est proximus, et vocatur *medicinalis*, quia ut idem Ambrosius, in l. de patriarchis, et Gellius, l. X. scribit, ex eo digito vena una ad cor tendit; ut ita per hunc annulum vinciat quodammodo cor ipsorum conjugum. Porro is olim erat ferreus et sine gemma, ut scribit Plinius, l. XXXIII. c. I. utique ad firmitatem conjugalis fidei exprimendam. Quid enim fortius ferro, quod domat omnia? Quo spectat id, quod Eccl. XXVII. dicitur postquam litigiosa femina explosa fuit: *Ferum ferro committitur* (uti legit Tigurina versio) *sic homo homini sociatur*, q. d. sicut ferrum ferro calenti adjectum fortiter adhæret: ita sponsi et sponsæ fides coalescere debet, ut nulla vi divelli possint. Neque gemma in hoc annulo quærenda est, formæ inquam aut nobilitatis, aut opum splendor in conjugio; quia non ita firma fides est inter dispares fortuna et genere, sicut inter pares. Novæ Christi sponsæ cum in claustrum monialium ordinis S. Birgittæ, edita professione inducuntur, præfertur illis feretrum velut jam afferendis ad sepulcrum, et postquam in ceno-

II. PARS HIEMALIS.

bium ingressæ sunt, clauditur post eas ostium, multo ferro oppressulatum, nec amplius ipsis reseratur, nisi cum efferuntur ad sepulcrum. Hoc ipsum est quod annulus denuntiat neonymphis: ita nimirum eos constringi illo annulo, ut separari nequeant, donec alter illorum per mortem abripiatur et sepulcro inferatur.

III. Jungit amborum manus et sacra stola quasi colligat, ut norint se mutuo sibi ad porrigendam manum auxiliorum in quacumque fortuna, necnon mutua obsequia præstanda in officio conjugali devinctos esse. In primis si contingeret viro migrandum esse in exilium, vel in amœnum alium locum causa victus parandi, vel vitæ tuendæ, non detrectet eum sequi uxor. Cogitet hoc complures fecisse gentiles feminas. Inter alias Sulpitia Lentuli uxor, quæ cum a Tullia mater diligentissime custodiretur, ne virum a triumviris proscriptum sequeretur, famulari veste sumpta cum duabus ancillis et totidem servis ad eum clandestina fuga pervenit, nec recusavit seipsam proscribere, ut ei fides sua in conjugem proscripto constaret, apud Lud. Vives, l. de christ. fem. Deinde si contingat conjugem infirmari, nihilominus amandus et omni ope juvandus est ab altero, ac cum sanus esset. Assidendum est languenti, dolores leniendi verbis, fomenta ministranda: nec prætexenda aut nobilitas, aut labores alii, quia hi omnes credere debent curæ laborantis infirmitate. Non es nobilior uxore Themistoclis, Athenarum imo Græciæ principis, quæ sola fere in adversa valetudine marito ministravit: non nobilior Stratonica, Dejotari regis conjugem, quæ viro seni, mœsto, valetudinario ipsa erat et coqua, et medica et chirurga; non Romanis feminis principe de familia quæ non aliis manibus tractari sinebant maritos ægros, quam suis. Uti refert Vives, loco cit. Si denique alter conjux asperis sit moribus et incommodis, tolerandus est, nec cum eo contendendum, ne oleum igni addas, et cœnum cœno abluas, ex uno denique stulto duos stultos facias, te atque ipsum. Contemplare alias, quæ pejores habent maritos. Ferendum est bono animo, quod mutari non potest, et cogitandum majorem tibi proventuram apud homines gloriam, et apud Deum mercedem, si iniquum toleraveris.

IV. Sacrificio missæ eos communit, in quo celeste auxilium eis implorat, ad diffiolem illum statum securius gerendum. Gentiles iter facturi prius Herculi sacrificabant, quod fortissimi illius herois qui contra omnia pericula defendere eos posset, ope se indigere affirmarent, teste Festo Pompeio, l. XIV. Magnum, ut diximus,

et incertum iter aggrediuntur, qui connubio se committunt; jure igitur merito non fictio Herculi, sed præpotenti Deo sacrificium prius offerunt, ut eum sibi concilient, et contra occurrentes tentationes invocent ac propitium reddant. Testimonium antiquæ huic cæremonie reddit antiquissimus actor Tertullianus, lib. II. ad uxorem, ubi ait: *Matrimonium Ecclesia conciliat* (hoc est copulat) *et oblatio* (missæ videlicet) *confirmat*. Viderunt sibi hunc comitem esse necessarium, qui in Cana Galilææ invitarunt Christum ad nuptias suas; sine quo alioquin deficiente vino bibere aquam coacti fuissent; aquam inquam tribulationis, desolationis, zelotypiæ, contentionis, impatientiæ, etc. At vero: « Si adsit Christus ad nuptias, (inquit D. Chrys. ho. XII. in ep. ad Colos.) si velis, nunc quoque faciet miracula, sicut et tunc. Faciet nunc quoque aquam vinum, et multo admirabilius. Diffluentem et dissolutam convertet lætitiâ et cupiditatem et transferet ad spiritualem. Hoc est, ex aqua vinum facere. Ubi sunt tibicines, nequaquam est Christus. Sed et si fuerit ingressus, eos primum ejicit, et tunc facit miracula. Quid satanica pompa est injucundius? » Hæc Chrys. Ita nimirum pervertit Satan homines, ut quæ ipsis a Deo tributa sunt contra venenum antidota, convertant in venena. Mane invitant conjuges Christum ad nuptias in missæ sacrificio, vespere expellunt, et admittunt diabolum in satanicis choreis, aliisque impudiciis. Deum invitavit ad nuptias Tobias, cum a triduanis precibus et abstinentia orditus est conjugium. Diabolus vocavit septem illi viri, qui Tobie sponsam prius acceperant sicut equus et mulus, ut libidini suæ vacarent, Tob. III. et VI.

V. Benedictionem sacerdotalem impertit primis nuptiis, ex antiquissima consuetudine, ut constat ex epist. I. Evaristi Pp. et martyris ad episcopos Africanos, c. XXX. q. V. c. Aliter; item c. q. V. c. Nullus, c. Nestratus, c. Sponsus. Ejusdem meminit Hormisdas et Nicolaus primus summi pontifices, necnon Concilium Carthaginiense, cujus est hoc decretum: « Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel a paranymphis offerantur. Qui cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permanent. » Ea vero benedictio representat in primis benedictionem illam, quam dedit Deus primis parentibus, Gen. I. dicens: *Crescite et multiplicamini et replete terram, etc.* Et quia primæ illæ nuptiæ representant mirabiles illas Christi cum Ecclesia, et rursus Filii Dei cum humana natura; ideoque in nova lege sacramentum et

quidem magnum sunt, apost. teste ad Eph. V a Christo ad hanc dignitatem exaltato, ac proinde debenedictiones sacerdotali coonestandæ. Quam ob causam secundas nuptias benedici vetat Ecclesia, quia a significatione illarum, in quibus fit conjunctio unius cum una dumtaxat nexu indissolubili, deficiunt. Deinde postulat a Deo conjugibus uberem gratiam, fecunditatem, concordiam, pacem, omnemque prosperitatem in animo et corpore; veluti ut habeant sufficientem corporis sustentationem, constantem sanitatem, vitam longævam, proles speciosas et morigeras, beatum ex hac vita transitum, etc. Quem admodum de Anna illa uxore Elcanæ legimus, I. Reg. I. postquam ei sacerdos Heli dixit: *Vade in pace, et Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum, impetravit filium, et quidem sanctum, cum prius fuisset sterilis*. Propterea olim christiani conjuges tanti æstimarunt sacerdotum benedictionem etiam privatam, ut ab obviis passim expeterent. Eudoxia imperatrix cum a duobus episcopis, ante partum inviseretur, his verbis prævenit eorum salutationem: *Benedicite patres, etc. Propter Dominum orate pro me, ut quod est in utero, in lucem edam cum Dei benignitate*, ut scribit Marcus Gazensis, in vita S. Porphyrii. Justiniano imp. cum benedixisset S. Sabas, rogatus est ab eo, ut Theodora quoque conjugi benedictionem impertiret, qua ex ea sibi filium impetraret, dedit quidem, sed non nisi ut sospes et salva esset ejus potentia, nequaquam vero ut filium obtineret: *Deus enim, aiebat, non sinet aliquem fructum ex ea edi, ne ipse quoque gustet Severi dogmata, et deteriores quam prius sub Anastasio tumultus conturbent Dei Ecclesiam*. Erat enim Theodora sectæ Acephalorum addictissima. Refert Cyrillus, in vita S. Sabæ apud Sur. 5. dec.

VI. Propinat illis vinum amoris, quod appellamus benedictione ibidem sacramentum. Facit hoc ad conciliandum mutuum inter eos amorem, ut alter pro altero, si res ita ferat, mori paratus sit: quemadmodum S. Joannes amore Aristodemi, idolorum pontificis et aliorum idololatrarum, ut eos Christo lucrifaceret, mortis præsentis periculo se exposuit, dum propinatum sibi venenatum calicem exhausit unde tamen læsus non est. Quod si Joannes vitam suam propter impios homines discrimini huic commisit, cur non idem præstet conjux conjugi, cum sint una caro? Certe si quis in caput tuum vibret ictum, tu brachium objicies, similiter si latus tuum pungere aut ferire velit. Meminerit ergo vir e latere suo formatam sibi esse uxorem: uxor sciat virum esse suum caput. Cur non igitur pro al-

tero alter se objiciat ad quævis pericula? Quare hic calix quasi philtum amoris spirituale eis porrigitur. Quod ut efficacius sit, amet alter alterum. Hoc philtum proponit S. Chrysost. homil. XIII. ad pop. « Vis beneficia capere? inquit. Confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi? Miserere proximi. Vis laudari? Lauda alium. Vis amari? Ama. Vis partibus primis potiri? Cede illas prius alteri. Tu sis iudex, tu sis vitæ tuæ legislator. » Quæ quidem in genere dicta ad omnes mortales pertinet; tanto tamen plus valere inter conjuges deberet, quanto major inter ipsos est conjunctio corporum et animorum, quam inter alios homines.

Hæc igitur indumenta, hæc armamenta sunt, quibus munit et obarmat vos, novos conjuges, Ecclesia mater vestra. Nolite ea spernere, nolite parvi facere; neque in hoc imitemini pastorem illum Davidem, qui lapidibus solum et baculo instructus potenti se objecit hosti. Non est omnium hæc virtus; nec unus dumtaxat hostis est, qui in connubio vos expectat. Curarum integrum agmen, integer exercitus est, cum quo vobis confligendum. Quare induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, ad Eph. VI.

CONCIO XXVIII.

RITUS NUPTIARUM GENTILES EXPONUNTUR.

Quando filii Israel migraturi erant ex Ægypto in promissam sibi terram, adeoque in peregrinam regionem, præcepit eis Deus, ut in vicinis suis Ægyptiis utenda sibi peterent vasa aurea et argentea, necnon vestimenta varia; hisque instructi utensilibus Ægyptum spoliarent, ac sese domosque suas hac suppellectile locupletarent, uti legimus Exod. XI. et XII. Hæc enim spolia ipsis Deus donavit. Idem vel quid simile vobis, novi conjuges, agendum ego suadeo. Quia enim in peregrinam terram, in statum inquam conjugalem, necdum vobis cognitum, transituri estis, ubi in peregrina domo multa vobis suppellex necessaria erit, eam vobis ut paratis, commodandam postulate a gentilibus, quinimo etiam rapite et capite quocumque modo potestis. Ea vero suppellectilia aliud non sunt, quam ritus nuptiales, seu externa symbola, desumpta e naturæ lumine adeoque rationi congrua, quibus illi novos conjuges ad rem gerendam instruebant, non quidem absque superstitione aliqua, quam nos præcedimus; cætera velut salutaria, adeoque aurea et argentea documenta in nostrum usum transferemus, sicque abjecto cortice nucleum comedemus. Sunt autem ista.

I. Cælibari hasta, quæ in corpore gladiatoris abjecti, occisique stetisset, nubentis femine caput comebatur, ut tradit Sextus Pompeius. Causam dat Plutarchus, in quæst. Rom. q. LXXXV. *Cur nuptiarum comam*, inquit, *discriminant hastæ cuspidem? Monentur nuptæ, quia bellicosos jungantur maritis, debere ipsas ornatu uti simplici et a luxu ac molitie alieno*. Deinde admonentur conjuges non nisi hasta alterutri infixâ hoc est morte conjugium dirimendum esse; itaque etiam nuptiarum die meminisse eos mortis voluerunt, ut ea recordatione quasi aqua vinum nuptialium gaudiorum et voluptatum temperarent.

II. Corona redimiri sponsa a sponso et vicissim sponsus et sponsa solebant, teste Tertulliano, qui ait: *Coronant nuptiæ sponso*, in li. de corona militis, et Catullo, in carmine de nuptiis Juliae et Manlii: *Cinge tempora*, inquit, *floribus suave olentis amarici*. Ecce vero, nisi ut mutuum sibi honorem deferendum semper intelligerent? Vir enim caput et gubernator, uxor vero adiutorium est uxoris et sustentaculum ejus. Unde D. Ambrosius, lib. V. hexam. cap. II. ait: « Adam per Evam deceptus est, non Eva per Adam. Quem vocavit ad culpam mulier, justum est, ut eum gubernatorem assumat, ne iterum feminea facilitate labatur. » Et paulo post: « Sed etiam tu vir depone tumorem cordis, asperitatem morum, cum tibi sedula uxor occurrit; propelle indignationem cum blanda conjux ad charitatem provocat. Non es dominus, sed maritus: non ancillam sortitus es, sed uxorem. Gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem. Redde studio vicem, redde amori gratiam. Persarum regum legitimæ uxores convivari cum eis et genialiter agere consueverunt, cœnis autem lascivioribus non admittebantur, sed psaltriæ tantum et concubinæ. Quem honorem reges illi conjugio deferebant. Nam ut princeps ille solitus erat dicere: *Uxor dignitatis nomen est, non voluptatis*, sic maritus conjunctionis, propinquitatis, unionis appellatio est, non libidinis. Refert Lud. Vives, de fem. christ.

III. Recta tunica induebatur sponsa, qualem prima Caia Cæcilia texuit, teste Plinio, l. VIII. c. XLVIII. Quid hæc nisi recta et pura intentio in contrahendo matrimonio? Recta vero est illa, quam habuit et exponit junior Tobias, c. VIII. Tob. *Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum*. Quinimo intellexit etiam Plato, cum scripsit, l. VI. de legib. ideoque ineunda matrimonia, ut relinquat quis liberos, qui Deo serviant pro se. Et paulo post: *Oportet parentes gignere et*